PRECES
BENEDICTIONIS
AE D I V M.

M E D I O L A N I,

Apud Pacificum Pontium, Typographum Illustriſs. et Reuerendiſs. Card. tit. S. Praxedis Archiepiſ.

M. D. LXXVII.

PRECES

BENEDICTIONIS

AD D I V M.

BENEDICTIO AEDIVM.

Benedictio aquæ, quæ in ecclesia, aut in limine uestibulone domus, cui benedicitur, fieri potest.

Sacerdos autem superpelliceo stolaq. indutus, et crucem ante se, ac lumina duo, et plures præterea clericos, aut saltem unum, in precibus sibi respondentem, habens, dicit.

Pater noster, et Auc Maria, *secreto; deinde clara uoce.* ℣. Deus in adiutorium meum intende.

℟. Domine ad adiuuandum me festina.

℣. Gloria patri, et filio, et spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia. *Præterquam in Quadragesima: quo tempore dicitur,* Laus tibi Dñe, rex æternæ gloriæ. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Deinde exufflat in sal, in modum Crucis, et dicit exorcismum.

EXorcizo te creatura salis, ✝ per deum uiuum, ✝ per deum uerum, ✝ per deum sanctum, per deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus sanitas animæ, et corporis: et effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersus fueris, omnis phantasia, et nequitia, et uersutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus, per eum qui uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et seculum per ignem. ℟. Amen. ℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usu generis humani tribuisti, bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salsus mentis, & corporis: & quicquid eo tactum, uel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per dominũ nostrum, Iesum Christum, filium tuum: qui tecum uiuit, et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post exufflat in aquam in formam Crucis, et dicit exorcismum.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✝ patris omnipotentis, et in nomine Iesu Christi ✝ filij ejus, & in uirtute spiritus, ✝ sancti, ut fiat aqua exorcizata ad effugandam omnẽ potestatem ini-

mici, et ipsum inimicum eradicare, et explantare tualtas cum angelis suis apostaticis, per uirtutem Domini nostri Iesu Christi, qui uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen. ℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

DEus, qui ad salutem humani generis maximã quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto inuocationibus nostris, et elementõ huic multimodis purificationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato uirtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde: ut creatura tua, mysterijs tuis seruiens, ad abijciendos dæmones, morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: ut quicquid in domibus, uel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, et liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuideat; aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, ut salubritas per inuocationem tui sancti nominis experita ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Qui tecum &c.

Accipit sal benedictum, et miscet cum aqua, sic dicendo.

Fiat commixtio salis, et aquæ, in nomine ✠ patris, et ✠ filij, et spiritus ✠ sancti. Amen. *Iterum cum sale.* Benedico te sal, et aqua, in nomine ✠ patris, et ✠ filij, et spiritus ✠ sancti. Amen. *Tertio cum sale.* Confirmo te sal, et aqua pariter, in nomine ✠ patris, et ✠ filij, et spiritus ✠ sancti. Amen.

Psall. Vox domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. Dominus super aquam istam. ℣. Gloria patri, et filio, et spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquã istam, alleluia, Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. *Oratio.* Pater noster, *clara uoce, reliquum secreto, usque ad* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Adiutorium nostrum in nomine domini. ℟. Qui fecit cœlum, et terrã. *Symbolum.* Credo in Deum. *clara uoce: reliquum secreto. usque ad* ℣. Carnis resurrectionem. ℟. Vitam æternam. Amen. ℣. Ego dixi, Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam: quia peccaui tibi. ℣. Conuertere Domine aliquantulum. ℟. Et deprecabilis esto

super seruos tuos. ℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Dominus uirtutum nobiscum. ℟. Susceptor noster deus Iacob. ℣. Domine exaudi orationem nostrã. ℟. Et clamor noster ad te perueniat. ℣. Exurge Christe adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

DEus inuictæ uirtutis auctor, et insuperabilis imperij rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis uires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas, te domine trementes ac supplices deprecamur ac petimus: ut hanc creaturam salis, et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, et pietatis tuæ more sanctifices: ut ubicunque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spititus abigatur, terrorq. uenenosi serpentis procul pellatur; et presentia sancti spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per dominum nostrum, Iesum Christum, filium tuum: qui tecum uiuit, et regnat in unitate spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Alia oratio.*

PRæsta quæsumus, Domine, super hanc creaturã aspersionis aquæ, sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, hic, et in æternum, et per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus uobiscũ. ℟. Et cum spiritu tuo. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison. ℣. Benedicat, & exaudiat nos deus. ℟. Amẽ. ℣. Procedamus cum pace. ℣. In nomine Christi. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Pax et benedictio dei patris ✠ omnipotentis, et ✠ filij, et spiritus ✠ sancti, descendat super hanc creaturam salis, et aquæ, et super omnes, ex ea accipientes. ℟. Amen.

BENEDICTIO AEDIVM.

Pater noster, et Aue Maria, *secreto*, *deinde* ℣. Ego dixi, Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam: quia peccaui tibi. ℣. Conuertere Domine aliquantulum. ℟. Et deprecabilis esto super seruos tuos. ℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Dominus uirtutum nobiscum. ℟. Susceptor

ſceptor noſter deus Iacob. ℣. Domine exaudi orationem noſtram. ℟. Et clamor noſter ad te perueniat. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. *Hæ preces præcedentes omittuntur, cum aqua benedictio, eodem tempore fit in domo benedicenda.* ℣. Dominus uobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.*

OMnipotens ſempiterne deus, qui ſacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contuliſti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteq. ab eis agitur, a te fieri credatur: quæſumus immẽſam clementiam tuam, ut, quod modo uiſitaturi ſumus, uiſites, et quicquid benedicturi, bene ✠ dicas: et ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: ſintq. ad noſtræ humilitatis ingreſſum, et introitum, ſanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, depulſio peſtis, et angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit ps. Graduales, et proſequitur cum choro, quinque primos: aquam benedictam aſpergendo per loca domus. *Pſal.* 119.

AD dominum cum tribularer clamaui: et exaudiuit me.
Domine libera animã meam à labijs iniquis: et a lingua doloſa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam doloſam?
Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.
Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitare cum habitantibus cedar.
Multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.
Gloria patri, & filio ſpiritui ſancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et ſemper, et in ſæcula ſæculorum. Amen. *Pſal.* 120.

LEuaui oculos meos ad montes: unde ueniet auxilium mihi.
Auxilium meum a domino: qui fecit cœlum, et terram.
Non det in cõmotionem pedem tuum: neque dormiet qui cuſtodit te.
Ecce non dormitabit, neque dormitet: qui cuſtodit Iſrael.
Dominus cuſtodiat te, dominus protectio tua: ſuper manum dexteræ tuæ.
Per diem ſol non uret te: neque luna per noctem:
Dominus cuſtodiat te ab omni malo: cuſtodiat animã tuã dominus.
Dominus cuſtodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc nunc, et uſque in ſæculum.
Gloria &c. *Pſal.* 121.

Læta-

LAetatus sum in his quæ dicta sunt mihi:in domũ domini ibimus.
Stantes erant pedes nostris in atrijs tuis Hierusalem.
Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas : cuius participatio eius in idi psum.
Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini testimonium Israel: ad confitendum nomini domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.
Interrogate quæ ad pacẽ sunt Hierusalẽ:et abũdantia diligenibus te.
Fiat pax in uirtute tua: et abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, et proximos meos: loquebar pacem de te.
Propter domum domini dei mei: exquisiui bona tibi.
Gloria &c. *Psal.* 122.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cœlo.
Ecce sunt oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nobis.
Miserere nobis domine, miserere nobis: quia repleti sumus contemptione.
Et multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.
Gloria &c. *Psal.* 123.

NIsi quod dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quod dominus erat in nobis.
Cum insurgerunt homines in nos: forsitan uiuos deglutissent nos:
Cum irascceretur animus eorũ aduersum nos: forsitan ut aquam absorbuissent nos.
Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam.
Benedictus dominus: qui non dedit nos in capturam dentibus eorũ.
Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo uenantium.
Laqueus contritus est: et nos liberati sumus.
Adiutorium nostrum in nomine domini: qui fecit cœlum, et terram.
Gloria &c.

Quibus finitis, dicit Sacerdos stans in ipso limine, aut uestibulo domus, Cap. Domine exaudi orationẽ nostrã. ℟. Et clamor noster ad te perueniat. ℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Domum

DOmum tuam domine clementer ingredere, et in tuorum tibi corda fidelium perpetuam construe mansionem; et præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituũ dominetur iniquitia, nec contagio pestis. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. *Deinde incipit, ac dicit psalmos sequentes; et procedit aspergendo iterum locꝝ domus.* *Psal.* 124.

QVi confidunt in domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum: qui habitat in Hierusalem.

Montes in circuitu eius, et dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Quia non remittet dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum.

Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: benefac domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem ad obligationem, adducet dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria &c.

Psal. 125.

IN conuertendo dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, Magnificauit dominus facere cum illis; Magnificauit dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Conuerte domine captiuitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent: euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.

Venientes autem uenient in exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria &c.

Psal. 126.

NIsi dominus ædificauerit domum: in uanum laborant, qui ædificant eam.

Nisi dominus custodierit ciuitatem: in uanum uigilant qui custodiunt eam.

In uanum est uobis ante lucem surgere, surgite, post quam sederitis: qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus qui implebit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loque-